

dem loco habere, & perinde fuerit, quam quisque religionem sectetur, modo cum iis, qui diversam profiterentur, pacem & amicitiam, quam Christiani Christianis, fratres fratribus, & ejusdem regni cives civibus debeant, colere velit.

Atque hinc mihi scriptiois hujus necessitas imposita est, quia pacem Ecclesiarum Christianis omnibus serio, ut par est, commendo, sed pro vera & non fucata pace pugnam simul ingredior, & quibus artibus, quibusque armis adversus nos utantur *οἱ ἐξ ἐναντίας*, ostendo, qui primo quidem hanc, de qua certatur, litem extenuant, deinde ut a concertationibus abstineamus, aut si omnino depugnandum sit, non nisi telis amentatis utendum esse suadent, tandem spe pacis, non quidem propinqua, sed nec admodum remota, dextras fraternitatis porrigunt, cum in finem, ut, cum fucato pacis nomine nobis imposuerint, nemine advertente, paulatim commenta sua in animos hominum insinuent, mox ulterius progressi totos occupent, & tandem, quod reliquum est, nobis subtrahant, & sibi solis vendicent.

Atque ego quidem malim abstinere ab hoc, quod jam inde a primis reformationis temporibus sine ullo successu gestum est, bello, quia tamen per adversarium, qui me conferta manu in arenam trahit, deprecari non licet, sed omnino pro veritate & ei sociata pace decertandum est, Tuis auspiciis, PERILLUSTRIS ET GENEROSISSIME DOMINE, pugnare cupio, qui harum rerum callentissimus es, & eruditione incredibili, cum pari experientia juncta, praemultis aliis polles, & omnium optimè,

ubi